

ORATIO VI.

Quæ est prior Apologia pro Sancto Joanne
Chrystostomo.



ANCTI Thomæ Communis pariter & Angelici doctoris primam summæ Theologicæ partem annis superioribus auditorio nostro prælegens, in quendam B. Joannis Chrystostomi locum incidit, quo superficie tenus considerato, videri possit sentire, neque Deum sicuti est à mundis corde videntium, neque facie ad faciem vel angelis vel hominibus beatis esse conspicabilem. Conatur B. quidem S. Doctor Aquinas pro data sibi divinitus modestiæ gratia, locum illum benignè interpretando sic explicare, ut nihil fidei adversum contineat, nihil paradoxon: sed hæc ejus interpretatio, ut ab authoris mente aliena, euidam ejus commentatori ad eò displicet, ut prolixè simul & operosè conetur, tum B. Thomæ interpretationem evertere, tum B. Chrystostomum erroris convincere. Quod, solidè ac prudenter faciat examine dignum existimans; id coram vobis ita facere statuit, ut primò de illibata veterum Patrum auctoritate pauca disseram: 2. Quæ fuerit S. Joannis Chrystostomi de possibilitate visionis Dei sententia, disquiram; ac deinde concludam non prouderet contra Chrystostomum, etiam si errasset, eum pugnare qui debuere in hæreticos calamum sumere, pro sanctis patribus rare.

Dicente scriptura, ne transgrediaris terminos antiquos quos posterum patres tui, Proverb. 22. Et, Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent ubi, Deut. 32. Et iterum, Inclina aurem tuam & audi verba sapientum, Proverb. 22. monitos nos voluit æterna sapientia ut patrum recententes scripta sanctorum, eos plurimi faciamus, & nosmetipsos consulentes si in fide consistimus, rectis illorum atque irreprehensibilibus institutis sensus nostros animofirmemus. Hoc & Apostolica tuba sonat, Timotheo clagens ut depositum custodiat. *Quis enim est hoc? Timotheus, inquit S. Vincentius Lirin. c. 27. nisi vel universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus presbiterorum, qui integram divinæ cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel alijs infundere? Quid est depositum? Id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ: non usurpationis privata, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non auctor esse debes. sed custos; non institutor, sed sectator: non dicens, sed sequens: Depositum, inquit, custodi, devians prophanas vocum novitates. Non dixi antiquitates, non dixi vetustates; imo plane quid è contrario sequeretur, ostendi. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas: & si prophanæ est novitas, sacra est vetustas. Veneranda sunt vetusta dogmata, inquit Basil quod ob antiquitatem seu canitum quandam, habeant quiddam reverentium. Si enim coram cano capie surgendum, ut honoretur persona senis. Levit. 19. Si venerabilis senectus, ubi cani sunt sensus hominis & vita immaculata Sap. 4. Si coronæ dignitatis, senectus quæ in vijs iustitiæ reperitur, Proverb. 16. Si Patres carnis nostræ quos eruditiores habemus, reveremur: An non venerabiles illi quibus post sanctos Apo-*

1. Timoth. 6.

Cap. 26.

Antiquitas honoranda.

A stolos Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit? Qui suis quique temporibus & locis in unitate communionis & fidei permanentes, magistris probabiliter exiterunt. Qui in Ecclesia catholica, doctrinæ sanæ studijs claruerunt. Qui spiritualibus armis muniti & accincti, bella gesserunt. Qui perfuncti fideliter suæ dispensationis laboribus, in pacis gremio dormierunt. Qui non solum filij, sed & patres ecclesiæ sunt. Ex qua enim filij regenerati sunt, ut discerent; ejus patres facti sunt, ut docerent, de illorum numero existentes de quibus prædictum est, Pro patribus nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Sicut ergo filij patres carnales, sic & catholici patres diligere debent spirituales; omninoque necesse est, non solum secundum sensum sequi sanctorum patrum dogmata, sed & eisdem vocibus uti cum illis, ut (quemadmodum Act. 12. syn. 6. monetur) nihil innovemus. Quod enim invenerunt in Sancta ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à patribus accepunt, hoc filijs tradiderunt, tanquam iudices incorrupti, qui dum sententias proferebant, nullas vel nobiscum amicitias attenderunt, vel cum hæreticis privatas inimicitias exercuerunt; in hoc totis animis intenti ut precedentium patrum doctrinam tenentes, consilium sequentes, credentes testimonio, obediens iudicio: antiqui dogmatis religionem confirmarent, & prophanæ novitatis inventa damnarent. Unde cum in conc. Ephesino lecta esset S. Capreoli Episcopi Cartag. Epist. qui nihil aliud intendebat & precabatur nisi ut expugnata novitate antiquitas defenderetur, & antiquæ fidei dogmatibus confirmatis, novitia superflue advenita, impietique promulgata, reprobanderent atque damnentur: Omnes Episcopi adclamaverunt. *Haec omnium voces sunt; hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota; nisi, ut quod erat antiquitatis traditum, teneretur: quod adinventum nuper, exploderetur? Quo factum, ait Vincent. Ut sicut ante-Nestorium hæretici, contemnentes vetustatem & asserentes novitatem, damnati sunt: Ita ipse quoque Nestorius auctor novitatis, & impugnatur vetuitatis, eodem hæretur, & circa fidem naufragasse monstraretur, dum non devitat prophanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ, sed hanc promittit, illas amplectitur.*

Hoc enim apud omnes ferè hæreses quasi solemne est, ut semper prophanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant; & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragant. Sed & Origines, talis ac tantus ut impius ille Porphyrius exitum se fama ipsius dicat Alexandriam ferè puerum perrexisse, ibique eum vidisse jam senem, sed plene talem tantumque qui arcem totius scientiæ conscendisset: cum parvi pendit antiquam christiænæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula novo more interpretatur: meruit ut de se Ecclesiæ Dei diceretur, Si surrexerit in medio tuo Propheta &c. non audies verba illius: quia tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum an non. Similiter & Tertullianus, dum catholici dogmatis, id est, Univerfals ac vetulæ fidei parum est tenax: dum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & infana illa,

Aug. lib. 2. contra Julian. c. ult.

Hæreses ex novitatibus originantur.